



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio XXXII. De Lege æterna & naturali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

Ratio secunda partis est: Lex formaliter & in recto nominat ordinationem & imperium legislatoris: ergo illa, quæ pertinent ad intrinsecam constitutionem legis, debent se tenere ex parte legislatoris: atqui solum activa promulgatio se tenet ex parte legislatoris; passivè verò sumpta pro signo manifestativo legis, sic moraliter recipitur in ipsis subditis: ergo promulgatio non passivè sed activè accepta pertinet ad intrinsecam constitutionem legis. Quo tamen non obstante est requisitum essentialiter connotatum, sine quo activa promulgatio consistere, vel intelligi nequit: prout in simili de revelatione Divina, in Tractatu de fide dicemus, illam activè sumptam esse formale motivum fidei, passivè verò acceptam connotari per modum essentialis requisiti.

§. II.

Solvuntur objectiones.

6. **O**bjicies primò. Applicatio & approximatio causæ non est formale constitutum ipsius: sed promulgatio legis, tanquam causæ obligativa, est ipsius applicatio ad subditos: ergo non est formale constitutum legis. Minor habetur à S. D., qui legem nuncupat mensuram; promulgationem verò applicationem. Major quoque probatur: Applicatio causæ & mensuræ præsupponit causam & mensuram in sua essentia & actu primo jam constitutam: ergo eandem non constituit.

Respondeo distinguendo min. promulgatio est applicatio legis inchoativè & inadæquatè acceptæ, nempe pro regula solum aptitudinaliter mensurante, concedo; completè & adæquatè acceptæ, pro regula publica actu mensurante, & habente efficaciam formalem actualem obligandi, nego. Sic enim promulgatio non est mera applicatio sed intrinsecum complementum & constitutum legis.

7. **O**bjicies secundò. Actus secundus alicujus essentia præsupponit illam jam constitutam in actu primo: sed promulgatio pertinet ad actum secundum legis, quippe inducens obligationem actualem ipsius: ergo præsupponit essentiam legis, ejusque virtutem obligatoriam in actu primo.

Respondeo negando, vel distinguendo majorem: nisi illa sit de genere actus secundi, concedo; si sit, nego. Nam utique inter rerum essentias continentur actus liberi, vitales, visio, imperium, locutio, consilium, revelatio, &c. quæ omnia constitunt formaliter in actu secundo. Sic

itaque lex completè sumpta non est potentialis sed actualis mensura humanorum actuum, regula & locutio publica & præceptiva Principis, actu obligatoria subditorum, ideoque non petendum primum, sed per actum secundum regulandi, mensurandi, obligandi, ad quod intrinsecè pertinet promulgatio, constituitur.

Objicies tertio. Lex est actus prudentiæ existentis in Principe: sed actus prudentiæ secundum suam essentiam & rationem formalem completè habetur in actu intellectus practici dictantis aliquid esse faciendum, vel omittendum ante omnem promulgationem: ergo lex secundum suam essentiam completè habetur ante omnem promulgationem.

Respondeo. Lex est actus prudentiæ, qui sit imperium politicum actu obligans subditos, concedo; alius quicumque, nego: sed actus prudentiæ, qui tantum est dictamen judicativum de agendis vel omittendis, completè habetur ante promulgationem, concedo; qui est dictamen imperativum actu obligans, nego min., & consequentiam.

Objicies quartò. Datur lex etiam promulgatione non existente: ergo non constituitur per promulgationem. Antecedens probatur primò, quia promulgatio est actus transiens, quo transacto permanet virtus & efficacia legis. Secundo: quia datur lex æterna, cum tamen promulgatio tam divinæ quam aliarum legum non nisi in tempore cœperit.

Respondeo negando antecedens. Et primam probationem distinguo. Promulgatio est actus transiens actu, concedo; tam actu, quam virtute, nego: remanet quippe in effectu à se relicto, v. g. signo, scripturâ, memoria, moribus hominum. Secundam probationem distinguo. Datur lex æterna ante promulgationem, quæ sit ab æterno sub inadæquata & inchoativa ratione legis, concedo; sub adæquata & completa ratione legis, nego.

Colliges ex dictis. Quomodo concordanda sint duo axiomata in speciem opposita, quorum uno dicitur, *leges prius condi, quam promulgentur*, altero, *leges institui, cum promulgantur*. Nam primum procedit de lege solum inchoativè & inadæquatè sumpta, pro regula aptitudinali; alterum verò procedit de lege completè & adæquatè sumpta pro regula actuali, habente formalem efficaciam obligandi.

DISPUTATIO XXXII.

DE

Lege æterna, & naturali.

Inter prima & potissima membra, quibus Lex dividitur, poni solet lex æterna, & naturalis, quamvis non sint membra secundum philosophicum rigorem usquequaque distincta; cum Lex naturalis, ut in decursu patebit, formaliter accepta à lege æterna non distinguatur. Utriusque in hac Disputatione naturam, subjectum, materiam & proprietates inquirimus.

ART.

ARTICULUS I.

Quid sit Lex aeterna?

SUMMARI A.

1. Legis aeterna latior & strictior acceptio.
2. Duo principales actus pertinent ad Legem aeternam.
3. Subiectum Legis aeterna.
4. Illius materia operationes liberae creatae.
5. Non divinae.
6. Hinc nulla creatura rationalis legis experta.

§. I.

In quo actu formaliter consistat?

Lex aeterna quandoque in latiori, quandoque in pressiori significatione accipitur. Latius accepta, ut fit frequenter in sacra pagina, significat rationem Divinae Sapientiae, quatenus directivam omnium motuum & creaturarum in suos fines. Pressius verò accepta denotat rationem ejusdem Divinae Sapientiae actus liberis creaturae rationalis efficaciter ordinantis in finem ultimum.

Unde duos principales actus lex aeterna includit. unum praesuppositivè, qui est iudicium scientiae simplicis intelligentiae, quo DEUS cognoscit actus ordinabiles, vel inordinabiles ad se ut ultimum finem: respectu priorum est iudicium virtualiter negativum & aversativum, ut optime advertit Reding, ex quo pariter in voluntate fundatur tum simplex complacentia in actibus ad se ordinabilibus, tum displicentia in actibus inordinabilibus. Secundus actus est scientiae visionis, per quem DEUS, supposito decreto, quo vult ut creaturae rationales per liberos & morales actus in se tendant, tanquam in ultimum finem, efficaciter exprimit, imperat, & causat omnem cujuscunque legis efficaciam.

§. II.

Subiectum & materia Legis aeterna.

Legis aeternae sub ampla significatione subiectum sunt omnes creaturae, siquidem omnes

subjiciuntur rationi directivae Divinae Sapientiae. Ideo S. D. a. 4. *Quaecunque divinae gubernationi subdantur, subjiciuntur etiam legi aeternae.* Et D. Aug. l. 19. de Civit. *Nullo modo, inquit, DEI aliquid legibus, ordinationibus, subtrahitur, à quo pax universitatis administratur.*

At verò legis aeternae propriè acceptae materia sunt operationes liberae & morales creaturae rationalis; nam omnes actus liberi sive Angelici sive humani suam moralitatem obtinent dependentè à conformitate, vel difformitate ad legem. Lex verò vel est ipsum DEI imperium, & lex aeterna, vel certè derivatur ab ipsa, ideoque omnes actus humani vel proximè vel remotè ab aeterna DEI lege mesurantur.

Etiarne actus DEI liberos ipsius legi subjicimus? Nequaquam: tum quia lex non est nisi erga subditum; at DEUS nec intra nec extra se habet superiorem se: tum quia voluntas divina essentialiter recta cum suo intellectu identificata, est ipsamet regula & lex divina: at lex non datur respectu sui ipsius.

Hinc deduces contra exleges haereticos, nullam dari creaturam rationalem jugo legis exemptam. Neque obstant Apostoli verba 1. ad Tim. 1. & ad Gal. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Nam duplex illorum verborum potest esse sensus, interpretè Doct. Angel. q. 93. a. 6. ad. 1. primò quòd iusti non sint sub lege timore supplicii, tanquam in vii & homines servilis ingenii, quia spirituales viri per charitatem, quam Spiritus sanctus cordibus eorum infundit, voluntariè id, quod legis est, implent. Secundo, in quantum opera hominis iusti, qui Spiritu sancto ducitur, magis dicuntur esse opera Spiritus sancti quam ipsius hominis; ideoque in quantum Spiritui sancto tribuuntur, non sunt sub lege: ubi enim Spiritus, ibi libertas 2. ad Cor. 1.

ARTICULUS II.

Quid sit lex naturalis.

SUMMARI A.

- | | |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Existentia legis naturalis. 2. Duplex acceptio legis naturalis. 3. In quo actu formaliter consistat? 4. Est lex necessaria necessitate consequenti. 5. Definitio Legis naturalis. 6. Est diverso sensu lex una & multiplex. 7. Non consistit in ipsa hominis natura. 8. Non etiam in aliquo habitu, 9. Neque in conscientia. 10. Actus aliqui sunt intrinsecè mali fundamentaliter, quia praesuppositivè ad legem repugnant naturae rationali, non verò formaliter. 11. Status questionis de distinctione juris naturalis & gentium,
R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II. | <ol style="list-style-type: none"> 12. Non est accurata divisio juris gentium in primarium & secundarium. 13. In quibus conveniant & differant utrumque jus? 14. Ostenditur differentia in 4. generibus causarum. 15. Differt etiam in obligationis universalitate & immutabilitate. 16. Jus gentium est jus non scriptum. 17. In eodem actu reperitur jus naturale, gentium & civile. 18. Quo sensu foedera belli & pacis sint de jure gentium? |
|------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|-------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------|

§. I.

Legis naturalis definitio & essentia.

1. **T**Am ex communi hominum consensu, quam ex fide constat, dari legem naturalem hominibus congenitam, juxta illud ad Rom. 2. 14. *Gentes naturaliter ea, qua legis sunt, faciunt, & ipsi sibi sunt Lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: quam enim implantatum est creaturæ rationali, ut per actus humanos & morales capaces bonitatis moralis tendat in debitum finem ultimum; tam necesse fuit, eidem præscribi & implantari regulas rationis, quibus in eodem ultimo fine profequendo dirigeretur, & sine quibus nullus esset conceptus moralitatis, nullus bonitatis aut malitiæ moralis, quod ex alibi dictis suppono.

Quæstio igitur principaliter est, in quam entitate formaliter consistat lex naturalis? Vasq. 1. 2. disp. 150. c. 3. existimat legem naturalem esse ipsam naturam rationalem, quatenus est prima regula vel boni convenientis, vel mali inconvenientis. Alensis 3. p. Sum. q. 27. n. 2. tenet consistere in habitu, seu lumine rationis in actu primo manifestativo bonitatis aut malitiæ moralis. Quam sententiam etiam amplectitur Suarez 1. 2. c. 5. n. 14. nisi quod præter vim luminis naturalis, etiam in actuali judicio mentis docet propriissime consistere legem naturalem. prout etiam tradunt Gabr. Arimin. & Amicus. Reding. q. 15. a. 1. contr. 2. & Theologi S. Galli scd. 2. q. 2. docent, consistere formaliter in pratico dictamine synteresis præceptivè intimantis media ad finem naturæ rationali consentaneum obtinendum necessaria. Magnif. P. Petschacher q. 3. de lege naturali a. 1. docet, legem naturalem formaliter consistere in lege æterna, & actu rationis Divinæ. Pro cujus quæstionis resolutione

2. Notandum. Legem naturalem aliquando accipi in rigore Theologico, & prout formaliter se tenet ex parte DEI Legislatoris; aliquando secundum vulgarem & communem loquendi modum, prout se tenet ex parte hominis, & remanet virtualiter in aliquo suo effectu, vel signo, quo sensu Theologi morales communiter de lege naturali loquuntur. Quæ distinctione facile in concordiam redigi possunt diversa Theologorum sententiæ, quorum aliqui in ipso DEI præceptis, alii verò in actu synteresis legem naturalem constituunt.

3. **CONCLUSIO.** *Lex naturalis formaliter consistit in æterna DEI Lege, & imperio præceptivo mediis habentium necessariam connexionem cum fine naturæ rationali consentaneo: quod per æternale dictamen synteresis nobis promulgatur, & in illo virtualiter permanet, quemadmodum Scriptura aliqua significat imperium obligativum ipsius Legislatoris.* Ita sentire videtur S. D. sup. q. 71. a. 6. ad 4. dicens: *Legem naturalem contineri principaliter in lege æterna, & secundario in judicatorio rationis naturalis.* Et D. August. 1. 2. de sermone Domini in monte: *Nullam animam esse, qua ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur DEUS. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi DEUS?*

Ratio ex fundamentis priori jam Disputatione

positis est. Omnis lex formaliter est ordinatio & imperium Legislatoris subditis promulgatum; sed Lex naturalis est vera lex: ergo formaliter est ordinatio & imperium ipsius Divini Legislatoris, adeoque est lex æterna ipsius, & actus formaliter immanens, virtualiter verò transiens, & mediantem actu synteresis nobis impressa, ac promulgata.

Inferes ex dictis primò: Legem naturalem esse parte DEI esse necessariam consequenter; ex suppositione nimirum, quod decreverit condere naturam rationalem liberè & moraliter operantem; quia facta hæc suppositione necesse fuit naturam rationalem subesse Divinæ jurisdictioni & gubernationi; in cavendis, quæ naturæ rationali quæ tali sunt dissentanea, & in agendis quæ ad finem naturæ rationalis quæ talis consequendum sunt necessaria: sed hoc fit per legem naturalem; ergo.

Inferes secundò. Legem naturalem rectè sic definiri: *Est ordinatio Sapientie Divinæ per dictamen synteresis naturæ rationali impressum, quæ dirigitur in suum finem ultimum per media necessaria consequendum.* Ubi notatur primò causa formalis, nempe imperium Scientiæ practicæ DEI virtualiter transiens, & in dictamine synteresis virtualiter tanquam in signo remanens; secundò causa subjectiva quæ est naturæ rationalis: tertio finis, in suum finem, h. e. bonum honestum; denique modus, quo à lege divina positivè liberè distinguitur, per media necessaria, est enim de adibus vel intrinsicè bonis, vel intrinsicè malis.

Inferes tertio cum S. D. q. 94. a. 4. Legem naturæ partim esse unam, partim multiplicem. Una est tum unitate principii universalissimi, ad quod cætera præcepta reducuntur, bonum æsequendum, malum fugiendum; tum unitate finis, quod est bonum humanæ naturæ. Multiplex est ex pluralitate præceptorum particularium ad diversas virtutes spectantium, quæ rursus ad tria genera revocantur secundum triplicem inclinationem hominis ad bonum: primò ad bonum secundum naturam communem omnibus substantiis & huc pertinent præcepta de conservatione vitæ, Secundò ad bonum secundum naturam communem cæteris animalibus, & huc pertinent præcepta de educatione prolis, &c. Tertio ad bonum secundum naturam rationalem quæ rationem, & huc pertinent præcepta dirigentia actus humanos, quatenus per illos homo honestè se habet tum erga DEUM, tum proximum, tum seipsum.

§. II.

Rejectiones aliarum opinionum.

Sequitur ex dictis primò. Legem naturalem non consistere in ipsa natura rationali, quatenus illi quædam actiones sunt convenientes, id est, quæ honestæ, quædam inconvenientes, id est, quæ inhonestæ. Nam primò subjectum legis non est lex: sed natura est subjectum legis naturalis; quippe quæ juxta stylum Apostoli est *inscripta in cordibus nostris*. Secundò: Legis actus proprii & officia sunt ostendere honestatem, Illuminare, dirigere, præcipere: sed ista non conveniunt naturæ rationali secundum se spectatæ. Tertio: Lex est actus superioris erga inferiorem & subditum: natura non est sibi ipsi subdita: ergo.

Rectè igitur advertit Suar. l. 2. c. 5. n. 6. ab Adverf. malè confundi fundamentum honestatis cum lege, cùm plura ad legem, quàm ad fundamentum & radicem bonitatis vel malitiae moralis requirantur: Unde etiam, licet divina natura fit fundamentum & ratio, quòd veritas ipsi fit consentanea, mendacium verò malum & dissentaneum, haud tamen sequitur, quòd divina natura fit lex respectu DEI.

8. Sequitur secundò. Legem naturalem sumptam ex parte hominis non consistere in habitu, est quippe participatio divina legis actu præcipientis: sed hæc consistit in actu imperii, ergo & Lex naturalis. Nihilominus, quia illo imperio jam transactò non idcirco aboletur lex naturalis, sed in virtute synteresis habitualiter [non formaliter] perseverat, dicitur aliquando nobis ineffe per modum habitus.

9. Sequitur tertio. Legem naturalem eodem modo acceptam distingui à conscientia, quia primò lex naturæ est regula generalis, conscientia est dictamen practicum in particulari, prævio discursu formatum. Secundò illa proximè, hæc remotè à synteresi originem trahit. Tertio conscientia est tum ipsius legis naturalis, tum divinæ; tum humanæ ad operationem particularem applicatio, & quidem non tantum legis veræ, sed etiam existimatæ tantum, unde sæpius datur conscientia erronea: Lex verò naturalis est principium applicabile, quod nunquam potest esse erroneum, utpote divinitus impressum.

10. Dices: Actus intrinsecè mali sunt tales, quia independentè à libero decreto & lege DEI repugnant naturæ rationali quæ tali: sed repugnant legi naturali: ergo lex naturalis consistit in ipsa natura rationali quæ tali.

Respondeo. Actus intrinsecè mali sunt tales fundamentaliter, quia independentè &c. concedo; sunt mali formaliter, nego. sed repugnant legi naturali formaliter, concedo; tantum fundamentaliter, nego min. & consequentiam. Formalis quippe malitia cuiuscuque actus etiam intrinsecè mali desumitur à repugnantia ad legem æternam, veluti dictum in Tract. de peccato.

§. II.

Distinctio juris naturalis & juris Gentium.

11. Imperator l. 1. instit. tit. 2. dividit jus in *naturale, gentium, & civile*. Cui divisioni licet movet mox subjuncta definitio: *Jus gentium est quod ratio naturalis inter omnes homines constituit*: quod enim naturalis ratio constituit apud omnes homines, pertinet ad jus naturale: ut *servare fidem, honorare parentes &c.* Igitur contra leges dialecticæ unum ex membris dividendibus jus in communi, in altero membro includitur, nempe jus gentium in jure naturali. Stat præterea in oppositum auctoritas D. Thomæ qui hic q. 95. a. 4. ex Isidoro jus seu legem humanam dividit in jus gentium, & jus civile, in quantum jus gentium proximè derivatur à lege naturæ, sicut conclusio à principiis, continetque generalia præcepta, ut justas emptiones, venditiones, &c. Jus verò civile remotius derivatur à lege naturæ per modum particularis determinationis. Atqui jus humanum adæquatè distinguitur à jure natu-

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

rali, siquidem lex humana obligatoriam auctoritatem sortitur ex arbitrio hominum: lex verò naturalis à voluntate authoris natura; unde etiam lex universim dividitur in divinam & humanam, tanquam in membra adæquatè opposita.

Ut seu definitionis, seu definiens auctoritati supererant ferant, dividunt Jurisperiti apud Suarez l. 2. c. 19. jus gentium in primarium seu primævum & secundarium. Primarium vocant, quod naturalis ratio apud omnes primo statim assensu & consensu constituit, quodque nobiscum natum est, & apud omnes gentes peræquè custoditur, ut religio erga DEUM, pietas in parentes, fides in pactis, &c. Jus gentium secundarium est, quod non primo statim assensu, sed necessitate ita exigente, intervenitu discursus practici, expensis vitæ ac societatis humanæ commodis communi hominum consensu & usu institutum est: ut sunt emptio, venditio, locatio, societates, servitutes, manumissiones, libertas commerciorum, publica securitas legatorum etiam tempore belli, &c. quæ posita distinctione merito dicendum erit cum eodem Suar. Jus gentium primarium ad jus naturale, secundarium verò ad jus humanum positivum revocari. Et ratio primæ partis est: Quod omnes homines ex evidenti instinctu luminis naturalis necessariò & æqualiter obligat, pertinet ad legem naturæ, siquidem talis instinctus immediatè derivatur ab auctore naturæ, ideoque Isidorus l. 5. etymol. c. 4. Jus naturale, inquit, esse, *quod est commune omnium nationum*, eò quòd utrobique instinctu naturæ, non constitutione aliquà habeatur: atqui jus gentium primarium ita se habet, unde & ejus præcepta Decalogo continentur: ergo. Ratio 2. partis est: Illa lex continetur sub lege humana positiva, quæ hominum moribus & arbitrio constituitur: nam recipere Legatos sub pacto securitatis, rerum divisiones, emptiones, venditiones, commercia & cætera ejusmodi, ad secundarium jus gentium pertinentia, non sunt absolute de necessitate generis humani: cum sine iis humana societas absolute conservari & gubernari potuisset, & aliquandiu conservata fuerit. Cùm verò unà cum humano genere etiam malitia cresceret, magistrâ necessitate, non unius sed omnium ferè gentium consuetudine sunt introducta: sed quod usus & mores hominum constituerunt, pertinet ad jus humanum positivum: ergo. Inde

Nihilominus, ut optime observat Clariss. D. Jos. Cletle in selectis qq. ex 1. p. ff. q. 2. n. 3. hæc distinctione divisioni juris in naturale & gentium non admodum succurrit; cùm jus gentium primarium nihilo distet à jure naturali, nec nisi denominativè & improprie *gentium* dici possit, eò quòd gentibus commune sit usitatum. Ideoque dimissa hæc distinctione restitùs Theologi à formali principio divisionem legis ac juris instituant, & id omne jus sub lege naturali comprehendunt, cujus obligatio vel efficacia ab auctore naturæ profecta instinctu naturali evidenter cognoscitur: illa sub jure gentium comprehenduntur, quæ distante quidem ratione naturali, mediante tamen consuetudine, consensu & arbitrio omnium ferè gentium, non ut absolute, sed ut necessaria ex suppositione moribus hominum in-

producta, servantur. Cetera ex ratione naturali remotius derivata, & populorum vel magistratum placito variè instituta sub jus civile redigunt.

13. Quamvis igitur jus gentium quandam affinitatem habeat cum jure & lege naturali, & in aliquibus conveniat, ut quòd utrumque sit commune gentibus, saltem ut plurimum; quòd utrumque habeat actus præceptivos, prohibitivos, permissivos: nihilominus tamen essentialiter discriminantur, primò quòd præcepta juris gentium tam affirmativa quàm negativa non sunt in materia intrinsecè bona, vel mala, neque sunt ex principiis synteresis evidenter deducta, sed immediate fundantur in moribus, usu, mutuoque consensu & tacito contractu gentium: qua de causa Imp. §. 4. Instit. de jure natur. &c. vocat jus gentium, quòd *usu gentium introductum est*. Secundò differunt, quòd præcepta juris naturalis sunt de rebus simpliciter necessariis ad finem naturæ rationali proprium, ut fidem servare, neminem defraudare, colere parentes, &c. dum econtra præcepta juris gentium non sunt de mediis simpliciter necessariis ad obtinendam felicitatem humanæ societatis, sed magis de commoditate, aut necessitate hypothetica fundata in aliqua libera hypothesi, ut est immunitas Legatorum & Fecialium, jura hospitii, captivitates, servitutes, libertas commerciorum, &c. sine quibus absolute humana societas subsistere potuisset.
14. Unde tertio differunt secundum omnia 4. genera causarum: Et de causa materiali constat ex dictis: materia quippe juris & legis naturalis sunt actus intrinsecè boni, vel mali, mediæque necessariò connexa cum fine ultimo: materia verò juris gentium sunt actus habentes solum magnam commoditatem, aut hypotheticam aliquam necessitatem ad consequendam felicitatem. Item differunt subjecto: nam subjectum juris naturalis sunt omnes & singuli homines: juris verò gentium, sunt aliqua, & pleræque, non necessariò omnes gentes. Differunt in causa efficiendi, nam lex naturalis imprimatur ab ipso auctore naturæ humanis cordibus: jus gentium descendit ex arbitrio, consuetudine & mutuo consensu gentium, quamvis originetur in lumine synteresis. Differunt in fine intrinsecò, nam finis intrinsecus legis naturalis est felicitas omnium hominum, & singulorum: econtra finis intrinsecus juris gentium est felicitas gentium quæ talium. Differunt proinde causâ formali, definitione & differentiâ specificâ; quia jus naturæ est ordinatio Authoris naturæ inscripta cordibus omnium hominum, ad ea agenda, quæ absolute & intrinsecè sunt necessaria ad finem ultimum naturæ rationalis, & ad fugiendum illa, quæ cum ipso intrinsecè repugnant. At verò jus gentium rectè definitur, *Ordinatio communi usu & consuetudine gentium, mutuoque consensu introducta, ad ea amplectenda sine quibus humana societas ex integris gentibus aggregata, quæ mutuis officiis fovetur & indiget, commode non subsistit*.
15. Unde deduces primò; Jus gentium etiam in effectu multum distare à jure naturali, tum universalitate, tum immutabilitate: quia obligatio, quæ est primarius juris sive legis effectus, in jure

naturali omnes omnino gentes, singulosque homines afficit, estque formaliter immutabilis seu indispensabilis, prout sequenti art. ostendemus, secus in jure gentium; quod neque necessariò suam obligationem in omnes gentes propagat; neque est proflus immutabile, quia proxime datum in arbitrio & consuetudine gentium.

Deduces secundò. Jus gentium scripturæ proprie non dari, sed ut docet Suarez loc. cit. illud esse speciem juris non scripti & consuetudinarii, quia, ut loquitur Imperator, *est usus gentium introductum*: sicq; primò dividi potest in Divinum & humanum; Divinum in naturale & positivum; Istud in scriptum & non scriptum h. e. traditione acceptum; Humanum quoque in scriptum & non scriptum. Scriptum, quod scripturâ superioris auctoritate confecta periclitatur, est tantummodo civile, cum gentes diversæ nullam agnoscant potestatem humanam superiorem, vi cujus præceptis in certam scripturam reductis arctari possint. Non scriptum verò & consuetudinarium est vel moribus civium unius gentis, populi, civitatis introductum, & illius felicitatem per se primò respicit, estque jus consuetudinarium civile seu politicum; vel est plurimum populorum, & gentium moribus introductum, idque propter felicitatem humanæ societatis non ex una, sed pluribus gentibus diversorum scoporum, linguarum, rituum constituitur, tunc proprie est jus gentium. Possunt quippe, ut cum Suar. loc. cit. eleganter exponit Clariss. D. D. Cletle, considerari homines, prout sunt cives licet civitatis, provincie, regni; & rursum prout sunt cives vastæ mundi Reipubl. & totius universi; neque enim divisio gentium ita à se invicem homines divisit, ut non in generalibus quibusdam officiis ad universam hominum societatem pertinentibus reciprocâ quâdam colligatione & vinculo, in ipsa naturæ specificâ conventionia, primisque principiis fundato indigeant, quo sit, ut in toto ferè mundo quâdam consuetudines sint introductæ, quibus nemo se vellet exemptum, præter admodum paucas & barbaras nationes, quæ ne quidem naturalis rationis præceptis obsecundant. Ex quo etiam patet iusticiens distinctio juris gentium à jure civili non scripto, quàm non scripto.

Deduces tertio. In uno eodemque actu iniquiter concurrere jus naturæ, gentium, & civile: ita e. g. in contractu spectari potest in primis specialis modus contrahendi, isque ordinatus pertinet ad jus civile, vel arbitrium ipsorum contrahentium: alterum est observatio contractus consummati; & hoc pertinet ad jus naturæ, quo dicitur, suum cuique esse reddendum, eademque servandam; tertium est facultas liberi contrahendi, & illa est juris gentium.

Deduces quartò. Quo sensu fœdera belli & pacis inter populos inita sint juris gentium? Nam primò vel sumuntur hæc fœdera pro ipsa pactione fœderis in genere, & sic videntur positivum, factâ hominum gentiumque divisione earundem moribus ita suadente communi utilitate introducta, adeoque esse de jure saltem præmissivo gentium; quamvis eandem facultatem DEUS Israelitis restrinxerit, ut patet ex Deuter.

nomii cap. 7. Vel secundò, sumuntur fœdera determinatè, v. g. pro hac, vel illa pacificatione, Monasteriensis, Neomagensis, Pyrenæa, &c. & sic sunt juris non gentium, sed civilis: quia ut sic non introducuntur moribus gentium; neque respiciunt per se communem gentium felicitatem, prout illa humanam societatem constituunt & quasi rempublicam universi, sed constituuntur auctoritate summorum Principum & Magistratum; atque in cujuslibet partis fœderatæ propriam felicitatem referuntur, quod pertinet ad jus civile: neque enim, si Hispanus cum Gallo pacem inierit, ideo vel Hispanus Gallicæ, vel Gal-

lus Hispanicæ gentis felicitatem quærit, sed quilibet gens suam, prout manifestum fit ex punctis in ejusmodi fœdera deductis. Nec refert, quod plures diversæ gentes populique in ejusmodi fœdera conveniant, uti nunc Anglia, Hispania, Imperium, Belgium, Sabaudia &c. contra Gallos; nam & in istis quælibet pars fœderata proprii statûs & Reipubl. conservationem ac felicitatem principaliter intendit. Vel tertio per fœdera intelligitur ipsa fœderis observandi religio; & hæc procul dubio est juris naturalis, siquidem, fidem esse servandam, ipsa rationis naturalis principia præscribunt.

ARTICULUS III.

An lex naturæ sit immutabilis?

SUMMARI A.

1. Quot modis fieri possit legis mutatio?
2. Materialis mutatio legis naturalis fieri potest humana potestate.
3. Non tamen in omni præcepto.
4. Quæ sunt de jure naturæ permissivo, humanitus mutari possunt.
5. Nulla potestate lex naturæ formaliter mutari aut dispensari potest.
6. Objectiones ex S. Scriptura Auctoritate diluuntur.
7. Ad variarum dispensationum exempla objecta respondetur.

§. I.

Præsupposita.

1. Suppositâ divisione legis naturalis in præceptivam & permissivam; Notandum est, mutationem legis fieri vel quoad existentiam, vel quoad specificationem: quoad existentiam fit, quando lex in humana mente per invincibilem ignorantiam nullam habet existentiam, vel habitam amittit. Et hoc sensu quæri potest, an lex naturæ invincibiliter ignorari possit? ad quam questionem in prioribus responsum est, legem naturalem quoad prima principia moralia ex nullius ratione utentis mente tolli posse; bene autem quoad secundaria, quæ per remotiorem consequentiam ex primis deducuntur. Quoad specificationem lex mutari dicitur, quando id quod per legem prius erat illicitum, postea fit licitum, vel econtra, quod quidem fieri potest dupliciter, nempe ab intrinseco, & extrinseco. Ab intrinseco fit, quando mutato fine & ratione legis, cessat etiam obligatio legis, vel in totum, & tunc dicitur cessatio legis, vel in particulari occasione, & tunc dicitur interpretatio legis. Ab extrinseco lex mutatur, quando ab habente potestatem, nempe à legislatore, revocatur vel in totum, & tunc dicitur abrogari; vel ex parte, & quoad aliquem casum aut personam particularem, & tunc dicitur fieri dispensatio; nam dispensatio dicitur relaxatio juris à superiore facta cum aliquo particulari, remanente vigore juris. Rursus. Mutatio vel dispensatio legis potest esse mutatio legis formaliter & propriè, vel tantum materiali-

ter, & impropiè. Mutatio legis formaliter quæritur, etiam vocat intrinsecam, est, cum legis obligatio definit remanente objecto legis sub iis circumstantiis, sub quibus terminat intentionem legislatoris; materialiter & impropiè [quod etiam appellant extrinsecè] lex mutatur, quando materia sive objectum legis ita mutatur, ut ad illud legislatoris intentio & legis obligatio jam amplius se non extendat. His positis

Certum est primò, Legis naturalis materiam tantum & impropiam mutationem non tantum divinam, sed etiam humanam potestate fieri posse, quando nimirum materiæ & objecti mutatio ejusmodi potestati subest; Certum quippe est de facto mutatâ materiâ præcepti naturalis, præceptum naturale non obligare, non quia præceptum ejusve obligatio mutetur, sed quia non invenit objectum, circa quod deberet suam obligationem exercere: ergo si DEUS vel potestas humana possit mutare materiam legis, similiter poterit fieri extrinseca mutatio legis naturalis. Antec. constat in lege naturali reddendi depositum, servandi naturale secretum, quæ præcepta non obligant in casu, quo reddendo depositum, vel servando secretum, damnum Reipubl. sequeretur; hæc quippe præcepta non aliter respiciunt redditionem debiti, & servationem secreti, nisi sub implicitâ conditione boni communis, ad quod omnia tacitè referuntur: quâ deficiente mutatur objectum & materia legis, & consequenter obligatio legis ad talem casum se non extendit, ipso nihilominus vigore legis penitus immutato. Sic pariter, etiam si sit lex naturalis, ne quis occidat seipsum, si DEUS, qui est Dominus vitæ & mortis, expressâ revelatione & præcepto potestatem homini tradat, licita erit occisio sui ipsius; si ereditur faciat donationem mutui, cessabit naturalis obligatio mutuum restituendi, &c.

Certum est secundò. Non omne præceptum legis naturalis etiam materialiter mutari posse: quando nimirum materia legis est simpliciter immutabilis: ita quippe in præcepto non blasphemandi, non mentiendi &c. nulla est mutabilitas, aut dispensabilitas, quia materia prohibita habet intrinsecam & essentialem repugnantiam cum divinis perfectionibus.

00 §

Certum

4. Certum est tertio, ea quæ sunt de jure permissivo naturæ, mutari posse: neque enim ratio naturalis dicitur, illa esse necessaria ad conservandam morum honestatem: sed tantum tribuit moralem facultatem illa retinendi, quamdiu legitimam auctoritatem habentibus aliud expedire non videbitur. Sic rerum communitas, & hominum libertas ex se non præcipit, sed permittit homines gaudere bonis communibus, & possessione suæ libertatis, quamdiu boni communis ratio aliam dispositionem non introduxerit, quæ jure gentium introducta est in servitutibus, & rerum divisionibus. Dubium superest, an jus naturale præceptivum formaliter & propriè mutari, aut dispensari possit, sive per humanam, sive per divinam potestatem? Ubi posse in quibusdam remotionibus conclusionibus, & casibus particularibus jus naturæ Summi Pontif. auctoritate limitari, aut dispensari censuit Angelus V. Papa n. r. Sanch. l. 8. de matrim. d. 6. cum pluribus à se relatis. Posse in jure naturæ secundario, & in quibusdam præceptis secundæ tabulæ à DEO propriè dispensari, haud obscure docet Scotus in 3. d. 37. q. un. à n. 5. cum plerisque suæ scholæ.

§. II.

Resolutio quæstionis.

5. CONCLUSIO. Jus seu lex naturæ præceptivæ verè & formaliter neque humanâ, neque Divinâ potestate mutari, aut dispensari potest. Ita S. D. q. 94. a. 5. & 6.

Ratio est primò. Lex DEI æterna, consistens in actu, partim simpliciter, partim hypotheticè necessario, mutari, & dispensari non potest: atqui lex naturalis ex parte DEI est lex æterna ipsius, consistens in imperio necessario prohibente actus intrinsicè malos, & præscribente ea, quæ necessariam habent convenientiam cum bono naturæ rationalis, ex suppositione quòd decreverit creare naturam rationalem, quæ per liberos actus tendat in suum finem: Item fundatur in actu necessario simplicis intelligentiæ, quo DEUS cognoscit, actus intrinsicè malos esse inordinabiles ad se ut ultimum finem, & esse suis Divinis perfectionibus repugnantes, adeòque impermissibiles: sicut ergo est impossibile istos actus mutari, ita pariter est impossibile mutari legem naturæ.

Unde summo opere miror, quanam consequentiâ quidam Rec. Scotista in Disp. de Leg. D. 1. q. 5. à n. 9. doceat, posse DEUM propriè dispensare in quibusdam præceptis Decalogi, cum paulò antè eadè distinctione q. 2. n. 18. dixisset, regulam legis naturalis haud esse aliam, quam incommutabilem æternam DEI voluntatem, seu rectius actum Divinæ voluntatis necessarium, quo ab æterno vult obligari quamcunque creaturam rationalem ad faciendum ea, quæ sunt intrinsicè bona, ac omittendum ea, quæ sunt intrinsicè mala: Certè omnis dispensatio est aliqua legis mutatio, quâ nempe voluntas legislatoris facit licitum, quod antècedenter faciebat illicitum: sed lex naturalis juxta prædictam Scotistam est necessaria & immutabilis, adeòque incapax mutationis: ergo pariter est indispensabilis.

Ratio est secundò. Lex naturalis fundatur in intrinsicè convenientia vel disconvenientia actionis humanæ cum natura rationali [ut admittit prædictus Scotista l. cit. n. 7.] sed ista est intrinsicè immutabilis: ergo.

Confirmatur. Ut feret aliqua mutatio vel dispensatio in lege naturæ, debet remanere objecto cum omnibus circumstantiis fieri licitum, quod lege naturæ est illicitum: sed hoc est simpliciter impossibile: ergò. Minor probatur: Est impossibile, ut fiat licitum, quod est disconveniens naturæ rationali quâ tali: sed quicquid est lege naturæ illicitum, est disconveniens naturæ rationali quâ tali, ideoque etiam inordinabile in debitum finem ultimum: ergo pariter est impossibile, ut, quod lege naturæ est illicitum, fiat aliquando licitum.

Oppones è S. Script. primò. DEUS cum Abrahamo dispensavit in quinto præcepto, *Non occides*, quando ipsi præcepit, ut immolaret filium Gen. 22. Secundò in sexto præcepto cum Osee, quando ipsi præcepit, ut acciperet mulierem fornicariam. Tertio in septimo præcepto cum Hebræis, quando ipsis concessit spolia Ægyptiorum Exod. 11. Quarto in monogamia & indissolubilitate matrimonii, cum antiquis Patriarchis plures uxores, & Hebræis libellum repudii permisit. Accedat auctoritas D. Bernardi, qui l. de dispens. & præc. c. 5. ita loquitur de præceptis secundæ tabulæ: *Quo etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo solvere aut licuit, aut licebit, Dominus: tamen horum quod voluit, & quando voluit, solvit.*

Respond. Per adducta exempla nequaquam formalem, & propriè dictam mutationem, vel dispensationem legis evinci, cum per solam materiam & objecti mutationem commodissime explicentur: in quantum nempe DEUS, cui Dominus vitæ & mortis ac universæ creaturæ Abrahamo concessit potestatem in vitam filii, Osee in corpus meretricis, Hebræis in bona Ægyptiorum: quamvis ex DD. Hieronymo, Augustino, Irenæo: aliisque PP. advertat Suarez, exemplum Osee parum vel nihil probare, cum rectè intelligi possit, quòd DEUS præcepit Osee, ut sibi mulierem fornicariam legitimo conjugio sociaret. Sic etiam vi ejusdem supremi dominii potestatis DEUS marito concedere jus in plures uxores, & tollere jus uxoris in corpus mariti, marito remittere obligationem respectu uxoris, quo casu mutato legis naturalis objecto, neque monogamiam neque indissolubilitatis & vinculi lex amplius adstringebat. Ad D. Bernardi auctorit. Res. S. Patrem hoc intendere & probare, quòd DEUS aliquas actiones suâ lege prohibitas possit efficere licitas, quod tamen nulla possit humana potestas, idque probat admodum Scripturæ exemplis: hoc autem per materialem solum dispensationem sufficienter obtinetur, quippe quæ ex infinito DEI dominio, quod omnem creaturam auctoritatem ac potestatem excedit, derivatur.

Opponuntur etiam quædam humanæ potestatis exempla. Primò. Summi Pontifices sæpius dispensarunt in matrimonio rato, cujus tamen vinculum est de jure naturæ. Secundò. Ecclē-
siæ di-

sa dispensat in votis, quorum obligatio est juris tam divini, quam naturalis. Tertio. Lege ufucapionis auferuntur & occupantur bona aliena, quod rursus est legi naturali contrarium. Quarto. Jure naturæ mutuo consensu clandestino contractus matrimonialis perficitur, & tamen hunc contractum jus positivum Tridentini invalidat.

Respond. Neque in istis exemplis intervenire aliquam formalem mutationem, aut dispensationem; sed tantum aliquam mutationem materiæ vel objecti. Nam quia fidelium voluntates Summo Pontifici tanquam Christi in terris Vicario moraliter sunt subiectæ, & subordinatæ, potest ille ex gravibus causis illorum consensum morali-

ter immutare, vel irritare, quo facta lex de indissolubilitate matrimonii, de redditione voti, &c. definit obligare, & sic patet responsio ad 1. & 2.

Ad 3. Resp. Lege ufucapionis non occupari alienum, sed acquiri proprium, atque dominium ab uno in alterum transferri, quod omnino rationi & æquitati naturali est congruum, quæ dicitur, intuitu boni communis à supremo Magistratu vel alti domini rerum proprietates & dominia aliquando auferri, vel ab uno in alterum transferri posse & debere.

Ad 3. Resp. Clandestini matrimonii valorem jure naturali tantummodo permissum esse, cui juri permissivo humanâ potestate aliquid addi, vel detrahi posse extra dubium est.

DISPUTATIO XXXIII.

DE

Lege Divina positiva antiqua & nova

ad q. 98. & seqq.

Legis Divinæ necessitatem S. D. q. 91. a. 4. probat hæc ratio: Hominem elevatum in finem beatitudinis supernaturalis oportebat dirigi in finem illius beatitudinis: hoc autem non præstabat lex naturalis, quæ nec finem naturalis felicitatis transcendit, neque actiones particulares satis determinat: Neque præstabat lex humana, quippe quæ tantum versatur circa actus externos humanæ cognitioni, & judicio subiectos: neque omnia vitia prohibere, aut punire potest. Debit itaque dari lex Divina, quæ etiam interni actus ad honestatem supernaturalem in particulari dirigerentur, & vitia beatitudini opposita prohiberentur, unde psal. 101. dicitur: *Lex immaculata, testimonium fidele, convertens animas, &c.* Dividitur lex Divina in Veterem & Novam, seu Veteris & Novi Testamenti, de quâ deinceps.

ARTICULUS I.

Quenam legis antiquæ, & novæ differentia?

SUMMARI A.

1. Quid sit antiquum Testamentum?
2. Quid novum?
3. Omnis causalitas gratiæ in quocunque statu pertinet ad novum Testamentum.
4. Legis Mosaicæ & Evangelicæ præcipua differentia.
5. Alia differentia accidentales.
6. Triplicia præcepta legis antiquæ.
7. Ceremonialia & judicialia erant figurativa.
8. Omnia præcepta moralia legis Veteris aliquo modo continebantur in Decalogo.
9. Quâ ratione moralia pertinerint ad legem Veterem?
10. Quotuplicia fuerint præcepta ceremonialia?
11. Quotuplicia præcepta judicialia?

§. I.

Differentia antiqui & novi testamenti.

1. Quia lex antiqua etiam appellatur lex antiqui Testamenti, & lex nova novi Testamenti, videndum imprimis, quæ sit utriusque Testamenti

notio & distinctio. Igitur Testamentum Divinum, ut docet Illustris. Reding. q. 15. a. 3. n. 4. significat universam Divinam promissionem & pactum, quo humana communitas sub certis legibus & ritibus aggregatur: idque post eversum primum Testamentum annexum statui Innocentiæ, quo promissa fuit posteritati ex Adamo propagandæ justitiæ originalis, sub conditione observandi Divina mandata, præcipue de non comedendo fructu ex ligno scientiæ boni & mali, duplex è S. Script. nobis innotescit, Vetus, & Novum. Vetus est promissio de conferendis temporalibus bonis populo Israelitico, & de Christo ex ipsorum sanguine nascituro, sub conditione præscriptarum & promulgatarum per Moysen legum, caeremoniarum, & Sacrificiorum, quibus ipse Christus, & gratia per ipsum conferenda significabatur. Hoc vetus Testamentum jam sumpsit initium à temporibus Abrahami; ad ipsum quippe primitus facta fuit promissio, quod ejus posteris tribuenda esset terra Chanaan, & quod in ipsius semine, h. e. Christo ex ejus sanguine